

rationis Spiritum sanctum procedere a Patre, quam a Filio.

Et ratio evidens est: tum quia Spiritus sanctus non procedit nisi per amorem mutuam, et amicabilem, et qui sit nexus duorum, ut supra ostensum est: si autem in prioritate originis, quando intelligitur Pater antequam generet Filium, Spiritus sanctus procederet a Patre, esset pro illo priori a solo Patre: ergo pro illo priori non esset amor mutuus, sed tantum unius: et cum non sit mutuus ille amor ratione diversi actus, vel diversæ spirationis, etiam virtualiter, oportet quod solum sit mutuus ratione diversarum Personarum: ergo pro illo priori, quo solum intelligitur una Persona, non potest intelligi procedere Spiritum sanctum. Tum etiam quia Spiritus sanctus procedit a Patre, et Filio unica spiratione, et tamquam ab unico principio, ut definiunt Concilia Lugdunense, et Florentinum supra citata: ergo non potest intelligi ista spiratio pro aliqua prioritate, non procedens a Filio, et procedens a Patre, si quidem illa spiratio qua procedit a Filio est eadem qua procedit a Patre: ergo pro illo priori quo nondum intelligitur Filius, neque etiam intelligitur spiratio, quæ sine Filio non est.

XXXI. Dubitant vero aliqui de ipsa virtute spirandi, quam putant non esse prius origine in Patre quam in Filio, sed posita utraque Persona ex ipsa deitate resultare in Patre, et Filio æque immediate virtutem spirandi, non vero quasi prius intelligatur esse in Patre, et a Patre derivari in Filio per generationem, sed in eo sensu dici communicari virtutem spirandi a Patre ipsi Filio, quia a Patre generatur Filius, et accipit deitatem, et quia ex deitate sic communicata, et supposito generato resultat illa virtus, dicitur communicari a Patre per generationem ip-

sam virtutem spirativam. Ita tenet pater Alarcon tractatu v de Trinitate, disput. IX, c. II, et citat Ruiz disp. LXIX, sect. II, num. VII, et disp. LXXI, sect. III, num. VI et XII.

Et fundamentum videtur esse, quia si potentia spirativa prius est in Patre, quam in Filio, etiam actus, et exercitium spirandi prius erit in Patre, quam in Filio, si quidem potentia illa non est in actu primo, sed in actu secundo spirativa: ergo ubi intelligitur pro aliquo priori potentia spirativa existere, etiam actus secundus spirandi.

Et secundo, quia potentia spirativa, et principium spirandi formaliter est potentia duorum suppositorum, cum sit potentia spirandi amorem mutuam, qui non est mutuus, nisi ratione duarum Personarum, quæ ad illum concurrunt: ergo implicat intelligere hanc potentiam esse tantum in una Persona: ergo neque prius existet in Patre quam in Filio, sed æque immediate in utroque.

XXXII. Contraria tamen sententia omnino tenenda est, ut communiter tenent theologi cum D. Thoma in hac quæstione xxxvi, art. III, et ibi Cajetanus, et communiter interpretes D. Thomæ Vasquez ibidem in notationibus articuli, n. x, et Suarez lib. x de Trinitate, c. III, n. VI, et alii communiter, et expresse id docet D. Thomas ibidem in calce corporis, et ad secundum ubi dicit quod: « Filius habet hanc virtutem ad spirandum Spiritum sanctum a Patre. » Et ratio principalis est, quia opposita sententia non videtur in proprio sensu salvare definitionem Concilii Florentini in litteris unionis, ubi dicitur: « Et quoniam omnia quæ Patris sunt ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus sanctus procedit ex Filio ipse Filius a Patre æternaliter ha-

bet. » Ubi illa causalis Concilii non potest salvari nisi hoc ipsum quod est procedere Spiritum sanctum a Filio aliquid Patris sit, quod per generationem Filio tribuatur, si quidem Pater solum tribuit Filio ea quæ Patris sunt, præter paternitatem, et quia tribuit ea quæ sua sunt; ideo Filius habet a Patre hoc quod est spirare Spiritum sanctum: ergo non quia resultat a deitate in ipso Patre et Filio immediate spiratio, sed quia Patris est, et a Patre tribuitur Filio, ideo Filius illam habet: sed id quod Patris est, prius origine convenit Patri quam Filio, si quidem per originem et generationem tribuitur Filio: ergo si ideo Filius habet spirare quia ea quæ sunt Patris Filio per generationem tribuuntur, manifestum est quod spiratio activa prius origine est in Patre quam in Filio. Et ratio manifesta est, quia Pater per generationem tribuit Filio non solum intellectum, sed etiam voluntatem, sicut et omnia alia attributa, et non tribuit voluntatem infœcundam, sed cum fœcunditate, si quidem tribuit voluntatem, qualis est in ipso Patre, et sicut apta est esse in Filio; voluntas autem conjuncta paternitati, et communicabilis Filio est voluntas fœcunda: neque enim minus pertinet ad paternitatem quod voluntas sit spirativa, et fœcunda, quam ad filiationem: ergo si Pater communicat Filio voluntatem, etiam communicat illam ut fœcundam: ergo ut spirativam.

Confirmatur, quia Filius non spirat Spiritum sanctum ut spirator innascibilis, sed ut spirator genitus: ergo ut accipiens per generationem non solum deitatem, ex qua resultat virtus spirandi, sed ipsam etiam virtutem spirandi. Patet consequentia, quia si virtus spirandi non tribuitur illi per generationem: ergo nec per generationem constitui-

tur spirator: ergo in quantum spirator est innascibilis, si quidem ut dicunt oppositi auctores æque immediate resultat ab ipsa deitate spiratio in Patre et in Filio, et ratione hujus resultantiæ Pater est spirator innascibilis: ergo et Filius: hoc autem est inconveniens et contra Scripturam, quæ dicit quod: *Filius nihil potest facere a semetipso*, Joannis v, et Joannis xvi, loquens in specie de processione Spiritus sancti: *Ille, inquit, de meo accipiet, et annuntiabit vobis. Omnis quæcumque habet Pater mea sunt, propterea dixi quia de meo accipiet*: ergo si propterea accipit Spiritus sanctus a Filio, quia quæcumque habet Pater sunt Filii, non spirat Filius ut spirator innascibilis, et a semetipso, sed ut spirator genitus, et a se non faciens quidquam: ergo neque spirans a se, neque per immediatam resultantiam ab essentia sibi data.

Quod vero dicatur accipere spirationem a Patre, quia accipit ab illo deitatem, et personalitatem Filii, non est ad propositum; si quidem ipsa virtus spirativa, quæ formaliter constituit spiratorem in tali casu non provenit ei a Patre, sed innascibiliter eam habet per resultantiam a deitate, sicut Pater: ergo formaliter, et in rigore veritatis non est spirator genitus, sed innascibilis, atque adeo id rigore veritatis aliquid facit Filius a se, sicut Pater, nempe spirare Spiritum sanctum, quæ est contradictoria illius: Non potest Filius a se facere quidquam.

XXXIII. Ad primum fundamentum oppositum respondetur virtutem spirativam in Patre non esse in actu primo potenciali, sed in actu secundo; et sic communicari Filio, si quidem communicatur ut actus purus, et consequenter in actu ultimo, et nullo modo potenciali. Unde nulla virtus, nec potentia in Deo est potentia ad actum, sed ad

terminum, qui est distinctus ab ipso producente. Qua ratione Concilium non dixit ubi supra, quod Pater communicat Filio virtutem spirativam, sed quod habet Filius a Patre hoc ipsum quod Spiritus sanctus ab eo procedat, id est, ipsum actu procedere habet a Patre. Et Augustinus xv de Trinitate, cap. xxvii: « Hoc, inquit, Pater Filio dedit, ut quemadmodum de se, ita de illo quoque procedat. » Et hoc modo intelligitur quod virtus illa non est in actu primo, neque ut potentia respectu actionis, seu actus secundi, sed est virtus respectu termini, id est, respectu Personæ procedentis, sicque communicatur Filio a Patre virtus spirativa in actu secundo, et ipse actus secundus quantum ad actualitatem intelligitur ordine originis prius in Patre, et sic communicatur Filio, ita quod nullo modo est in potentia ad actum secundum, considerata essentialiter. Sed tamen respectu termini producendi, qui est Persona, sic illa virtus spirativa non intelligitur terminari exercite et in facto esse ad Spiritum sanctum, nisi prout est a Filio simul cum Patre et notionaliter terminata. Itaque virtus spirativa essentialiter, seu quoad actualitatem et perfectionem absolutam in actu secundo, est in Patre prius origine, quam in Filio; et sic prout in actu secundo communicatur Filio. Notionaliter vero, id est, prout relative et processionally terminata ad Personam Spiritus sancti solum communicatur ut virtus, non ut in exercitio terminata, quia non exercetur spiratio notionaliter, nec terminatur, ad Spiritum sanctum prius a Patre quam a Filio, sed simul ab utroque: licet autem in Deo non sit potentia et virtus respectu actionis, seu respectu actus secundi, bene tamen respectu termini, qui procedit ut distinctus a suo principio; actus vero secundus

non distinguitur ab actu primo, ut supra disp. iv et xi, tractatum est, et expresse docet S. Thomas infra quæst. xli, art. iv.

XXXIV. Ad secundum fundamentum distinguo antecedens. Potentia spirativa est formaliter potentia duorum suppositorum, distinguo; cum communicatione unius ex alio, et derivatione ab una Persona in aliam, concedo; æque innascibiliter et immediate in utraque, nego. Itaque potentia illa petit existere, et operari in duobus suppositis, non tamen in sui emanatione, et resultantia petit immediate resultare in duobus, sed ex uno communicari ad aliud. Et ita est potentia ad amorem mutuum et amicabilem, repugnatque existere, et operari in una Persona tantum quantum ad sui existentiam et subjectum proprium, sed quantum ad sui derivationem et resultantiam non repugnat prius origine esse in una Persona tamquam in principio, et subjecto inadæquato ad communicandum illam alteri Personæ, non ut in subjecto ad existendum et denominandum complete et adæquate, et ad operandum terminative notionaliter.

ARTICULUS V.

Utrum Pater et Filius diligant se Spiritu sancto?

I. Ista difficultas multum pertinet ad modum loquendi, quia sic communiter loqui solent theologi cum magistro in i, dist. xxxii, idque sumpserunt ex Augustino, qui hoc sæpe in libris de Trinitate usurpat, præsertim lib. vi, cap. v, et lib. xv, cap. xvii, eamque defendit S. Thomas quæst. xxxvii, art. ii, et communiter alii scholastici. Ejus vero difficultas insinuata est a D. Thoma loco citato, quia cum ponitur cons-

tructio ablativi, semper significari solet aliqua ratio causæ formalis, vel saltem causæ activæ efficientis, non autem ratio termini producti, vel effectus, verbi gratia cum dicitur homo est albus albedine, est videns visione, importatur ibi ratio causæ formalis in illo ablativo: cum autem dicitur homo intelligit intellectu, artifex operatur manu, vel operatur arte, intelligitur ibi habitudo causæ efficientis. Neutra autem habitudo intelligitur, cum dicimus quod Pater et Filius diligunt se Spiritu sancto. Non enim intelligitur habitudo causæ formalis, quia Spiritus sanctus non informat Patrem, et Filium, cum non identificetur cum illis, neque illis inhæreat, sed opponatur illis, forma autem non opponitur subjecto. Neque etiam importatur habitudo causæ efficientis, quia Spiritus sanctus non est principium in Patre et Filio producendi amorem, sed est terminus productus: ergo nullo modo verificari potest, quod diligant se Spiritu sancto.

II. Ad hæc sunt aliquæ propositiones similes isti, quæ nullo modo verificari possunt, et valde difficilis redditur disparitas inter illas et istam: sicut hæc est falsa: Pater intelligit Verbo, generat Verbo, spirat Spiritu sancto: ergo etiam non erit vera ista propositio: Pater diligit Filium Spiritu sancto. Quid enim aliud est diligere quam spirare in Patre et Filio? Et D. Augustinus illam propositionem: Pater est sapiens sapientia genita, retractavit in ii retractationum, cap. xxvi. Ergo etiam hæc erit falsa: Pater est diligens Filium Spiritu sancto, vel diligunt Spiritum sanctum Spiritu sancto: omnes enim ejusdem rationis sunt, et similis formæ, quia non important habitudinem causæ formalis. Et licet hæc concedatur: Pater dicit seipsum Verbo; hoc tamen

ideo est, quia in Verbo importatur habitudo repræsentationis ad objectum: at vero in ly diligere, etiam notionaliter sumpto, non importatur habitudo repræsentationis ad objectum, sed solum habitudo ad ipsum diligentem: habitudinem autem ad objectum dilectum non habet Pater medio Spiritu sancti, sed prius origine per amorem quem habet in se diligit objectum, et spirat Spiritum sanctum, non vero per ipsum Spiritum sanctum qui est terminus passive, et terminative procedens, diligit objecta.

III. Propter hoc ista propositio varie a diversis auctoribus exposita est. Nam D. Thomas in quæstione xxxvii, art. ii, quinque expositiones illius propositionis affert, et rejicit; et plerique detorquent illam ad sensum improprios, et aliqui etiam falsam existimarunt illam propositionem absolute, et retractatam esse ab Augustino in sua simili, quando negavit Patrem esse sapientem sapientia genita: nam pari modo non est diligens dilectione spirata. Alii vero in alio extremo dixerunt, quod Pater diligit Filium Spiritu sancto, secundum habitudinem causæ formalis, quia Spiritus sanctus est amor, quo Pater et Filius mutuo se diligunt. Alii vero voluerunt eam propositionem salvare secundum improprios sensus dicendo, quod Pater diligit Spiritu sancto, id est, amore essentiali qui appropriatur Spiritui sancto. Ad quod reducitur quod alii dicunt, sensum illius propositionis esse, quod Pater et Filius diligendo se spirant Spiritum sanctum. Alii vero exponunt quod diligunt se Spiritu sancto quasi signo amoris, quia productio Spiritus sancti est signum quod se diligunt. Ad quod etiam accedit expositio, quam ex Richardo de S. Victore refert Sua-